

**Bosniae, Item ante fores priores sepulchrum
Blondi.**

In templo Arae Coeli maximae columnae marmoreae extant, per quarum unam foramen transit, cui per iocum aures admotae sentiunt sibilum ab altero ad aliud foramen inspirante, quem dicunt a vespis in columna clam inclusis edi, ad quod festiviter, logus, immo nun dubito, inquam, quin vespas illas in cerebro tuo clam habeas inclusas. Ich will wohl glauben, daß du Wespen im Hirn habst.

Circa Sepulchrum Helenae columnae IIII. marmoreae versicolores pulcherrimae, instar vitri resplendentes, tum leves sunt; et tabula istic appensa vult ipsum altare omnium fuisse primum, quod Christo fuerit excitatum.

Ara Coeli ascenditur CXXVIII. gradibus, semper inter octenos interposita aliqua planitie. Ad sinistram multae sunt marmoreae imagines, quasi in tabulis sculptae, eo modo et ordine, quo videmus in veterum sarcophagis. Tempore autem passim collectae, ad ascensum istorum graduum, tanquam in locum conspicuum positae sunt.

Ad gradus alterius lateris, qui pauciores sunt, Obeliscus extat in suprema parte ferens cineres; sed nihil ad alterum in Vaticano. Nam neque ex solido lapide est, neque vel altitudine vel crassitudine conspicuus.

Ibidem prope in horto Arae Coeli, Palma arbor, ramos in cacumine habens, quales pinguntur in manibus Martyrum, item in manibus victoriarum in templis, licet illae plerumque trophaea portent.

Porro, si iuxta Palatium Senatoris Capitolino descendamus, ad sinistram ad Tullianum perdu-